Ergo substantia aliquid dicitur praesertim propterea, quia de ipso alia praedicari possunt, ipsum autem de nullo alio praedicari potest. Hoc modo Aristoteles saepissime substantiam intelligit, praesertim etiam, ubi distinctionem inter generationem simpliciter et secundum quid exponit atque declarat, cur solae substantiae simpliciter generentur:[112]

„πολλαχῶς δὲ λεγομένου τοῦ γίγνεσθαι, καὶ τῶν μὲν οὐ γίγνεσθαι ἀλλὰ τόδε τι γίγνεσθαι, ἁπλῶς δὲ γίγνεσθαι τῶν οὐσιῶν μόνον, κατὰ μὲν τἆλλα φανερὸν ὅτι ἀνάγκη ὑποκεῖσθαί τι γιγνόμενον· καὶ γὰρ ποσὸν καὶ ποιὸν καὶ πρὸς ἕτερον καὶ ποτὲ καὶ ποῦ γίνεται ὑποκειμένου τινὸς διὰ τὸ μόνην τὴν οὐσίαν μηθενὸς κατ' ἄλλου λέγεσθαι ὑποκειμένου, τὰ δ' ἄλλα πάντα κατὰ τῆς οὐσίας“.

(»Cum vario sensu dicatur fieri et quaedam non dicantur fieri, sed tale quid fieri, simpliciter autem fieri solum substantiarum sit, quoad cetera sc. quae non simpliciter fiunt clarum est necessario requiri aliquod subiectum, quod fiat; nam quantum et quale et relatum ad aliud et quando et ubi fit aliquid, si quid suppositum est, quia sola substantia de nullo alio praedicatur, alia vero omnia de substantia.«)

Atque ita elementum est substantia, nam nequit de alio praedicari, sicut quantum et quale et alia accidentia. Neque de materia, quae in ipso est, praedicari potest, nam elementum non est materia, sed aliquid totum compositum, ex materia et contrarietatibus. Ignis e. gr. non est materia, quae habeat caliditatem et siccitatem, sed totum aliquod compositum ex materia et caliditate et siccitate; sicut domus non sunt lapides certo modo positi. Quare etiam illud servatur, quod Aristoteles exigit rhetorice interrogando:[113]

„πῶς οὖν ἐκ μὴ οὐσιῶν οὐσία ἂν εἴη“.

(»Quomodo ergo ex non substantiis substantia fuerit.«)

Sc. domus, si nihil aliud esset, nisi lapides certo modo positi, non esset substantia alia ac lapides, ideoque non domus esset subiectum quantitatis, qualitatis, et ceterorum praedica-

[112] Phys. 1, 7; 190 a 31 — b 1.

torum, non domus esset tanta et talis et ibi, sed lapides. Et pari modo etiamsi omnia praedicata, quae de alio praedicantur, coniungerentur, non essent substantia, quia non essent id, quod de nullo praedicari potest.

Distinguendum igitur ex mente Aristotelis inter illam unionem, quae est inter substantiam et accidens et inter duas partes eiusdem substantiae: e. gr. domus unita cum albedine alio modo unita est ac lapides cum certa positione; nam domus cum albedine non sunt nova substantia sed manet domus; lapides autem cum certa positione novam aliquam substantiam efficiunt, domum, quae non est idem ac lapides, sed facta ex lapidibus.

Neques dici potest hanc distinctionem esse solum in ordine logico; nam domus cum albedine non solum consideratur ut eadem domus sed etiam est; et lapides certo modo compositi non solum considerantur ut aliquid aliud ac lapides, sed etiam est aliud.

Iam ad quaestionem, quid apud Aristotelem significet »specie diferre«, breviter ita respondetur: *illa specie differunt, quae diversae substantiae sunt ita differentes, ut diversam definitionen habeant; nam definitio exprimit quidditatem (substantiae)*:[114]

ἐστὶν δ ὁρισμὸς ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι λόγος.

(»Definitio est oratio, qua exprimitur quodquideratesse.«)

Quidditas autem substantiae saepe ab Aristotele vocatur εἶδος — species, e. gr. quando[115] differentiae elementorum speciem corporis efficere dicuntur: *„οὐ πᾶσαι αἱ ἐναντιώσεις σώματος εἴδη καὶ ἀρχὰς ποιοῦσιν".*

(»Non omnes contrarietates corporis species et principia efficiunt.«)

Neque ulterius in his generalibus quaestionibus immorandum; nam quid respondendum sit ex mente Aristotelis maxime patebit ex consideratione materiae et formae.

---

[114] Met. Z, 5; 1031 a 12.

[115] De gen. et corr. 2, 2; 329 b 9.

Articulus II. DE MATERIA ELEMENTI: QUID SIT ET QUOTUPLEX QUAQUE EUIS PROPRIETATES.

Summarium. 1. Subiectum ut totum et subiectum ut pars. 2. Utrumque subiectum vocatur materia. 3. Materia prima et secunda. 4. Materia non est corpus sensibile. 5. Propriam existentiam habet sive re sive ratione distinctam. 6. Numero eadem in diversis elementis. 7. Non materia, sed elementum fit. 8. Materia in se spectata est ens, per privationem autem nonens. 9. Hac distinctione Aristoteles difficultatem atomistarum solvit. 10. Quomodo ex materia fiat elementum. 11. Utrum materia sine ulla forma manere possit. 12. Materia speciem non habet. 13. Non materia, sed totum, cuius est, fit et mutatur et corrumpitur. 14. Non materia, sed totum est id, quod est. 15. Materia neque quid neque quantum neque quidquam aliud ex iis, quibus id quod est, determinatum est. 16. Materia est secundum quid substantia. 17. In materia distinguendum est inter id, quod materia est et rationem superadditam propter quam vocatur materia. 18. In materia distinguitur »esse essentiae« et »esse existentiae«. 19. Materia in corruptione non accipit novam existentiam. 20. Materia inseparabilis est. 21. Specialis nexus inter materiam et formam elementi.

Materia elementi est aliquod suppositum seu subiectum — *ὑποκείμενον*; nam iam nequit de alio praedicari: neque elementum neque aliud corpus est materia, sed ex materia. Verum, cum

1. in elemento duplex *ὑποκείμενον* — subiectum distinguatur, sc. totum quod compositum est ex materia et forma et aliquod subiectum, quod non sit totum, quaeritur, utrum subiectum intelligatur materia. Scilicet sicut in homine singulari Petro unum est subiectum ultimum, quod de nullo alio praedicari potest, ipsum illud individuum humanum Petrus, qui est homo et tantus et talis et agens et patiens, qui tamen non est corpus et anima sed habet corpus et animam: ita etiam in elemento est aliquod ultimum subiectum, de quo totum elementum praedicatur ut unum aliquod compositum, quod tamen non est aliqua pars compositi, sed cuius est pars. Sicut homo est compositum ex corpore et anima, non autem est aut corpus aut anima neque corpus et anima, ita etiam elementum est compositum ex materia et forma, non autem aut materia aut forma neque materia et forma. Quia de hoc subiecto compositum solum ut totum praedicatur, vocari potest (et in hac inquisitione ita vocabitur) »subiectum ut totum« seu suppositum, seu,

cum Aristotele »substantia prima — *πρώτη οὐσία*" vel „individuum — *ἄτομον*"[116] vel „ultima materia — *ἐσχάτη ὕλη*".[117]

Alterum autem subiectum in homine est corpus respectu animae; et similiter in elemento illud quod cum contrarietatibus totum elementum constituit, quod ab Aristotele vocatur *τὸ ὑποκείμενον τοῖς ἐναντιοις* subiectum contrarietatum[118]: „*ἡμεῖς δὲ φαμὲν μὲν εἶναί τινα ὕλην τῶν σωμάτων τῶν αἰσθητῶν, ἀλλὰ ταύτην οὐ χωριστὴν ἀλλ' ἀεὶ μετ' ἐναντιώσεως, ἐξ ἧς γίνεται τὰ καλούμενα στοιχεῖα. διώρισται δὲ περὶ αὐτῶν ἐν ἑτέροις ἀκριβέστερον, οὐ μὴν ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ τὸν τρόπον τοῦτόν ἐστιν ἐκ τῆς ὕλης τὰ σώματα τὰ πρῶτα, διοριστέον καὶ περὶ τούτων, ἀρχὴν μὲν καὶ πρώτην οἰομένοις εἶναι τὴν ὕλην τὴν ἀχώριστον μὲν ὑποκειμένην δὲ τοῖς ἐναντίοις· οὔτε γὰρ τὸ θερμὸν ὕλη τῷ ψυχρῷ, οὔτε τοῦτο τῷ θερμῷ, ἀλλὰ τὸ ὑποκείμενον ἀμφοῖν. ὥστε πρῶτον μὲν τὸ δυνάμει σῶμα αἰσθητὸν ἀρχή, δεύτερον δ' αἱ ἐναντιώσεις, λέγω δ' οἷον θερμότης καὶ ψυχρότης, τρίτον δ' ἤδη πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τοιαῦτα· ταῦτα μὲν γὰρ μεταβάλλει εἰς ἄλληλα*".

(»Nos dicimus esse aliquam materiam corporum sensibilium, neque tamen separabilem, sed semper cum contrarietate, ex qua elementa quae vocantur fiunt. De quibus alibi clarius definitum est. Verum, quia etiam hoc modo ex materia sunt corpora prima, etiam de his definiendum est, opinantibus principium et primam esse materiam inseparabilem quidem, subiectum vero oppositis; neque enim calidum materia est frigido neque hoc calido, sed quod utrique subiectum est. Primo igitur id quod potentia corpus sensibile est, principium est, secundum autem contrarietates, dico e. g. caliditas et frigiditas, tertio vero iam est ignis et aqua et alia talia; haec enim in invicem mutantur.«)

2. Ergo non subiectum ut totum, sed subiectum caliditatis et aliarum contrarietatum, cum quibus elementa constituit, ab Aristotele vocatur materia prima; quare hoc subiectum vocari potest (et in hac inquisitione vocabitur« »subiectum ut pars«.

Nihilominus etiam „subiectum ut totum" quandoque ab Aristotele materia vocatur, sc. quando loquitur de subiecto totius naturae quae

[116] Categ. 5; 3, a 33—39.

[117] Met. H, 6; 1045 b 17—19.

[118] De gen. et corr. 2, 1; 329 a 24 — bl.

definitione totius compositi exprimitur, sicut cum dicit[119]: „*τὸ δυνάμει σὰρξ ἢ ὀστοῦν οὔτ' ἔχει πω τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, πρὶν ἂν λάβῃ τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον, ὃ ὁριζόμενοι λέγομεν τί ἐστι σὰρξ ἢ ὀστοῦν, οὔτε φύσει ἐστίν, ὥστε ἄλλον τρόπον ἡ φύσις ἂν εἴη τῶν ἐχόντων ἐν αὑτοῖς κινήσεως ἀρχὴν ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος, οὐ χωριστὸν ὂν ἀλλ' ἢ κατὰ τὸν λόγον. τὸ δ' ἐκ τούτων φύσις μὲν οὐκ ἔστι, φύσει δέ, οἷον ἄνθρωπος. καὶ μᾶλλον αὕτη φύσις, τῆς ὕλης. ἕκαστον γὰρ τότε λέγεται, ὅταν ἐντελεχείᾳ ᾖ, μᾶλλον ἢ ὅταν δυνάμει*".

(»Id quod potentia caro est aut os, neque suam naturam habet, quamdiu non acceperit suam speciem, secundum definitionem, qua dicimus, quid sit caro vel os, neque est in natura sc. rerum. Alio igitur modo natura fuerit eorum, quae in se principium motus habent, forma et species, non separabilis nisi ratione. Id vero quod ex his est, natura non est, in natura autem, e. g. homo. Et haec potius est natura, quam materia. Unumquodque enim tunc dicitur, quando actu est, potius quam quando potentia est.«)

Hic Aristoteles loquitur de specie seu forma, quam cum obiecto definitionis (essentialis) identificat, quaeque ab eo, cuius sit, nonnisi ratione distinguatur; ergo intelligitur species vel forma ut tota essentia, a qua ratione distinguitur subiectum, quod consesequenter intelligitur »subiectum ut totum«, ad quod applicatur terminus *ὕλη* — materia.

Sicut igitur duplex subiectum distinguitur, ut totum et ut pars, ita etiam duplex materia, ut tota et ut pars.

Ad quam distinctionem attendendum est, quia pro diverso sensu, quo materia intelligitur, etiam forma respondens diverso sensu intelligitur: materiae ut parti respondet forma ut pars, sc. contrarietates; materiae ut toti respondet forma ut totum, sc. totum quod definitione exprimitur.

3. Neque haec distinctio coincidit cum distinctiotine inter materiam primam et secundam; nam prima dicitur materia aliqua, quia non est ex alia materia composita, secunda

[119] Phys. 2, 1; 193 a 36—b 8.

autem, quia ex prima composita est, sed ex ipsa iterum aliud compositum est aut esse potest; ergo diversa est consideratio: materia aliqua dicitur ut totum, quatenus subiectum est, de quo tota essentia illius corporis in recto praedicatur; materia autem aliqua dicitur secunda, quatenus et ipsa composita est ex materia prima et iterum ex ipsa quoque aliud compositum est, quod si iterum alii tamquam materia inservit, tertia materia est et sic deinceps.

Quas distinctiones observare necesse est in indaganda natura materiae ex mente Aristotelis.

4. Materia elementi non est elementum, ideoque neque corpus sensibile, quia omne corpus sensibile aut elementum est aut ex elementis compositum, sicut dicit Aristoteles[120]: *„τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστιν ἁπλᾶ τὰ δὲ σύνθετα ἐκ τούτων“.*

(»Ex corporibus quaedam sunt simplicia, quaedam vero composita ex his.«)

Quare materia elementi non est corpus sensibile, sed ex ea corpus sensibile fieri potest, ideoque est potentia corpus sensibile — *δυνάμει σῶμα αἰσθητόν*[121]: *„πρῶτον μὲν τὸ δυνάμει σῶμα αἰσθητὸν ἀρχή, δεύτερον δ' αἱ ἐναντιώσεις, λέγω δ' οἷον θερμότης καὶ ψυχρότης, τρίτον δ' ἤδη πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τοιαῦτα“.*

(»Primum est potentia corpus sensibile principium, secundum vero contrarietates, puta caliditas et frigiditas, tertium autem iam ignis et aqua et alia similia.«)

Neque tamen ex eo quod materia elementi non est elementum ideoque neque corpus sensibile, sequitur materiam non esse corpus insensibile. Aristoteles solum loquitur de corpore sensibili, non autem de quocumque corpore. Neque aes et lapis sunt corpus. Minus etiam concludi potest materiam elementi non habere proprium esse sive in ordine essentiae sive existentiae; nam materia opponitur formae ab eaque distinguitur ideoque aliquid est seu aliquod esse in ordine essentiae seu conceptibilitatis habet. Illud esse, quod materia in ordine essentiae non habet, est esse non materiae sed

[120] De coelo 1, 2; 268 b 26—27.

[121] De gen. et corr. 2, 1; 329 a 33—35.

elementi: conceptus materiae elementi non est conceptus elementi.

5. Immo materia elementi propriam etiam existentiam habet sive re sive ratione distinctam, nam quando ex alio elemento aliud fit, materia eadem manet, et solum propter relationem ad diversa elementa in quibus est, diverso modo concipitur: materia elementorum, quae ex invicem fiunt, distinguitur sicut aegrotum et medicabile, quae duo idem sunt quoad rem et solum propter diversam relationem tamquam duo concipiuntur[122].

„καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ὕλῃ τῇ τοῦ βαρέος καὶ κούφου, ᾗ μὲν τοιοῦτον δυνάμει, βαρέος ὕλη, ᾗ δὲ τοιοῦτον, κούφου. καὶ ἔστι μὲν ἡ αὐτή, τὸ δ' εἶναι οὐ ταὐτόν, ὥσπερ καὶ τὸ νοσερὸν καὶ τὸ ὑγιαστόν, τὸ δ' εἶναι οὐ ταὐτόν.

(»In ipsa quoque materia gravis et levis, quatenus tale quid potentia est sc. grave, materia gravis sc. elementi est; quatenus autem tale quid sc. leve, levis sc. elementi. Atque eadem est, esse autem non est idem; sicut etiam aegrotabile et sanabile sc. idem sunt, esse autem sc. eorum non est idem.«)

Quare, quia omnia quatuor elementa ex invicem fieri possunt, omnia quatuor elementa (successive) eandem materiam habent, quae propter quadruplicem relationem quadruplex esse in ordine essentiae seu conceptibilitatis habet[123] *ἀνάγκη καὶ τὰς ὕλας εἶναι τοσαύτας ὅσαπερ ταῦτα* (sc. *στοιχεῖα*), *τέτταρας, οὕτω δὲ τέτταρας ὡς μίαν μὲν ἁπάντων τὴν κοινήν, ἄλλως τε καὶ εἰ γίγνονται ἐξ ἀλλήλων ἀλλὰ τὸ εἶναι ἕτερον“.*

(»Necesse est etiam materias esse tot, quot haec sc. elementa sunt, quatuor, ita autem quatuor, ut una sit omnium communis, ex alia ratione et praesertim si aliud sc. elementum ex alia fit, esse autem diversum est.«)

Idem clarius[124]: *„βέλτιον ποιεῖν πᾶσιν ἀχώριστον τὴν ὕλην ὡς οὖσαν τὴν αὐτὴν καὶ μίαν τῷ λόγῳ δὲ μὴ μίαν“.*

(»Melius est facere omnibus inseparabilem materiam, quae sit eadem et una numero, ratione autem non una.«)

6. Non affirmatur materiam eorum elementorum, quae simul existunt, esse numero

---

[122] De coelo 4, 4; 312 a 17—21.

[123] De coelo 4, 5; 312 a 30—33.

[124] De gen. et corr. 1, 5; 320 b 12—14.

eandem, sed solum eorum, quae successive ex invicem fiunt; sicut numero iidem lapides materia domus et pontis sunt, sed non domus et pontis simul existentium, sed si domus destruitur et lapides ad pontem construendum adhibentur aut viceversa.

Eodem sensu Aristoteles dicit[125]: *„ἐστὶν ὕλη μία τῶν ἐναντίων, θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ τῶν ἄλλων τῶν φυσικῶν ἐναντιώσεων"*.

(»Est una materia contrariorum, calidi et frigidi et aliarum naturalium contrarietatum.«)

Quod ita ulterius de elementis explicatur[126]: *„ὅταν γὰρ ἐξ ὕδατος ἀὴρ γένηται, ἡ αὐτὴ ὕλη οὐ προσλαβοῦσά τι ἄλλο ἐγένετο, ἀλλ' ὃ ἦν δυνάμει, ἐνεργείᾳ ἐγένετο"*.

(»Quando enim ex aqua aer factus est, eadem materia, quin quidquam assumpserit, aliud facta est; sed id quod potentia erat, actu facta est.«)

Materia non aliud assumpsit, ita ut alia materia fieret atque ex tali nova materia novum corpus fieret; non enim negatur materiam aliquid novi assumere, sc. novam formam, cum qua novum corpus constituit.

Atque solum supposita hac unitate materiae transitus elementi alius in aliud explicatur[127]: *ἔστι δή, ὡς ἔφαμεν, τῶν ὄντων τὰ μὲν ποιητικά, τὰ δ' ὑπὸ τούτων παθητικά. τὰ μὲν οὖν ἀντιστρέφει, ὅσων ἡ αὐτὴ ὕλη ἐστί, καὶ ποιητικὰ ἀλλήλων· τὰ δὲ ποιεῖ ἀπαθῆ ὄντα, ὅσων μὴ ἡ αὐτὴ ὕλη"*.

(»Sunt igitur, uti diximus, inter ea quae sunt, quaedam activa, quaedam vero, quae ab his pati possunt. Iam in invicem convertuntur illa, quorum eadem materia est, quae in invicem agere et ab invicem pati possunt, quae vero agunt, quia pati possunt, sunt ea quorum non eadem materia est«.)

Ex hac materia, quae una numero in elementis, quae ex invicem fiunt, manet et solum ratione distinguitur, elementum fit et quidem simpliciter non solum secundum quid, ita ut habeatur vera *γένεσις* — generatio seu ortus, non sola *ἀλλοίωσις* — alteratio seu accidentalis mutatio[128]: *„ἡμεῖς δὲ φαμὲν μὲν εἶναί τινα ὕλην τῶν σωμάτων τῶν αἰσθητῶν, ἀλλὰ ταύτην οὐ χωριστὴν ἀλλ' ἀεὶ μετ' ἐναντιώσεως, ἐξ ἧς γίνεται τὰ καλούμενα στοιχεῖα"*.

---

[125] Phys. 4, 9; 217 a 22—23.

[126] ibid. a 27—29.

[127] De gen. et corr. 1, 10; 328 a 18—22.

[128] De gen. et corr. 2, 1; 329 a 24—26.

(»Nos dicimus esse aliquam materiam corporum sensibilium, neque tamen separabilem sed semper cum contrarietate, ex qua elementa quae dicuntur fiunt«.)

7. In eo quod elementa dicuntur simpliciter fieri ex materia, quae proprium esse habeat, et quae numero eadem in elemento illo sit, quod ex alio elemento factum est ac in illo elemento ex quo factum est. Contradictio esset, si idem simul et sub eodem respectu negaretur et affirmaretur, ita hic si idem simul diceretur iam existere et nondum existere. Iam vero quando elementum ex materia fit, materia quidem iam existit, neque materia fieri dicitur, sed id quod nondum existit est elementum, atque hoc fieri dicitur; et quia non materia fit talis, sed aliqua nova substantia, ideo elementum simpliciter fieri dicitur. Ita enim domus ab Aristotele[129] simpliciter fieri dicitur ex lapidibus praexistentibus; non enim, quando domus ex lapidibus fit, lapides tales aut tales fiunt, sed domus. Illud »simpliciter« fieri non intelligitur ita, ut etiam materia, ex qua aliquid simpliciter fit, esse incipiat, sed solum totum; materia autem esse quod habebat retinet sed solum in nova substantia esse incipit, atque ita novum aliquod esse acquirit in ordine conceptibilitatis seu essentiae.

8. Atque hoc sensu, quatenus materia aliquod esse essentiae seu melius conceptibilitatis acquirit, quo antea carebat, fit ens ex non ente, non autem fit existens ex non existente; nam existens fit ex non existente substantia, quae ex materia fit. Quare materia elementi seu prima in se spectata est ens, quatenus autem consideratur tamquam extra illam substantiam, quae ex illa fieri potest, est non ens; sicut lapides in se spectati sunt ens, quatenus autem considerantur tamquam extra domum, quae ex iis fieri posset, sunt non ens, quamvis existant.

9. Hanc distinctionem in materia, quatenus in se spectata est ens, sub aliquo autem respectu non ens, Aristoteles adhibet, ut illam difficultatem, quae omni

---

[129] Phys. 1, 7; 190 b 5—9.

[130] Phys. 1, 8; 191 a 27—31.

generationi opponebatur, solvat[130]: *„φασὶν οὔτε γίνεσθαι τῶν ὄντων οὐδὲν οὔτε φθείρεσθαι διὰ τὸ ἀναγκαῖον μὲν εἶναι γίγνεσθαι τὸ γιγνόμενον ἢ ἐξ ὄντος ἢ ἐκ μὴ ὄντος, ἐκ δὲ τούτων ἀμφοτέρων ἀδύνατον εἶναι· οὔτε γὰρ τὸ ὂν γίνεσθαι (εἶναι γὰρ ἤδη), ἔκ τε μὴ ὄντος οὐδὲν ἂν γενέσθαι· ὑποκεῖσθαι γάρ τι δεῖ.*

(»Dicunt neque quidquam ex iis quae sunt fieri neque corrumpi, propterea quod necesse sit, id quod fiat, fieri aut ex eo quod est aut ex eo quod non est; ex neutro autem possibile esse; nam neque id quod est fieri, quoniam iam sit ex eo autem quod non est nihil fieri posse; debere enim esse aliquid subiectum«.)

Ut responsum suum praeparet, similitudinem adhibet cum medico, qui idem aliquid possit et non possit[131]: *„οἰκοδομεῖ μὲν οὖν ὁ ἰατρὸς οὐχ ᾗ ἰατρὸς ἀλλ' ᾗ οἰκοδόμος, καὶ λευκὸς γίνεται οὐχ ᾗ ἰατρὸς ἀλλ' ᾗ μέλας· ἰατρεύει δὲ καὶ ἀνίατρος γίνεται ᾗ ἰατρός.*

(»Aedificat igitur medicus non quatenus est medicus sed quatenus est aedificator, et albus fit non quatenus est medicus sed quatenus est niger; artem autem medicinae exercet et non exercet, quatenus est medicus«.)

Iam vero sicut medicus considerari potest, quatenus est medicus et quatenus est non aliquid aliud, quod fieri potest sc. e. gr. medicus iam est, sed albus non est, et proterea medicus quidem fieri nequit, albus autem fieri ex non albo potest: ita etiam ens, quatenus est ens, non potest fieri ens, quatenus autem non est iam ens, potest fieri ens ex nonente[133]:

„δῆλον ὅτι καὶ τὸ μὴ ἐξ ὄντος γίγνεσθαι τοῦτο σημαίνει τὸ ᾗ μὴ ὄν".

(»Clarum est etiam illud quod dicitur 'ex non ente fieri aliquid', significare 'ex non ente, quatenus est nonens'«.)

Atque ex ignorantia huius distinctionis illam difficultatem ortam esse, qua omne fieri negetur[133]: *„ὅπερ ἐκεῖνοι μὲν οὐ διελόντες ἀπέστησαν, καὶ διὰ ταύτην τὴν ἄγνοιαν τοσοῦτον προσηγνόησαν, ὥστε μηθὲν οἴεσθαι γίγνεσθαι μηδὲ εἶναι τῶν ἄλλων, ἀλλ' ἀνελεῖν πᾶσαν τὴν γένεσιν.*

(»Quod cum illi non distinxissent, defecerunt; et propter hanc ignorantiam eo ignorantiae devenerunt, ut putarent, nihil fieri neque esse quidquam aliorum, sed omnem generationem perimerent«.)

---

[131] Phys. 1, 8; 191 b 4—6. [132] ib. 9—10. [133] ib. 10—13.

Iam illam difficultatem positive breviter solvit[134]: „ἡμεῖς δὲ καὶ αὐτοί φαμεν γίγνεσθαι μὲν οὐδὲν ἁπλῶς ἐκ μὴ ὄντος, ὅμως μέντοι γίγνεσθαι ἐκ μὴ ὄντος, οἷον κατὰ συμβεβηκός· ἐκ γὰρ τῆς στερήσεως, ὅ ἐστι καθ' αὑτὸ μὴ ὄν, οὐκ ἐνυπάρχοντος γίγνεταί τι. θαυμάζεται δὲ τοῦτο καὶ ἀδύνατον οὕτω δοκεῖ, γίγνεσθαί τι ἐκ μὴ ὄντος. ὡσαύτως οὐδ' ἐξ ὄντος οὐδὲ τὸ ὂν γίγνεσθαι, πλὴν κατὰ συμβεβηκός".

(»Nos quoque ipsi dicimus nihil fieri simpliciter ex nonente, nihilominus fieri ex non-ente, puta per accidens; ex privatione enim, id quod secundum se est nonens, non inexistente fit aliquid. Mirum autem et impossibile ita videtur, fieri quidquam ex nonente. Dicto autem modo neque ex ente neque ens fieri, nisi per accidens«.)

Id est, sicut patet ex difficultate solvenda et distinctione antea declarata: nos quoque ipsi dicimus nihil fieri ex eo quod est non ens simpliciter seu sub omni ratione; nihilominus dicimus fieri aliquid ex eo, quod est nonens solum sub aliqua ratione seu secundum quid seu per accidens; sc. fit aliquid ex aliquo ente, quatenus aliqua privatione affectum est, quae privatio desinit, quando ex illo non ente fit ens, sicut quando ex nigro medico albus medicus fit (quod exemplum antea adhibitum est), medicus non albus erat nonens, non simpliciter sed quatenus carebat albedine. cum autem albus factus est, illa carentia seu privatio non remansit. Mirum et impossibile est aliquid fieri ita ex nonente, ut illa privatio in ente facto remaneat. Ita autem sicut nos dicimus, non habetur illud mirum et impossibile, sed aliquid fit ex aliquo quod sudb aliqua ratione non est ens, et quod eo ipso etiam sub illa ratione fit ens.

Atque ita etiam materia, ex qua elementum fit est nonens solum sub aliqua ratione — *μὴ ὂν κατὰ συμβεβηκός*, simpliciter autem seu secundum se autem ens — *ὂν καθ' αὑτό;* nam privatio et perfectio, qua privatio tollitur, non constituit sed supponit materiam, ideoque respectu materiae est accidens (sc. logicum[135]: „ἡ δὲ στέρησις καὶ ἡ ἐναντίωσις συμβεβηκός".

(»Privatio autem et contrarietas accidens est«.)

---

[134] Phys. 1, 8; 191 b 13—19.

[135] Phys. 1, 7; 190 b 37. [136] ib. a 17—20. [137] ib. b 23—24. [138] ib. a 14 14—21.

Idem etiam de ortu substantiae valere explicite dicit[136]: *„φανερὸν οὖν ὡς, εἴπερ εἰσὶν αἰτίαι καὶ ἀρχαὶ τῶν φύσει ὄντων, ἐξ ὧν πρῶτων εἰσί, καὶ γεγόνασι μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ἀλλ' ἕκαστον ὃ λέγεται κατὰ τὴν οὐσίαν, ὅτι γίγνεται πᾶν ἔκ τε τοῦ ὑποκειμένου καὶ τῆς μορφῆς".*

(»Clarum igitur est unumquodque fieri ex subiecto et forma, siquidem sunt causae et principia corum quae natura sunt, ex quibus primis sunt et facta sunt non secundum accidens, sed unumquodque, quod secundum substantiam dicitur«.)

Atque de hoc subiecto, quod etiam in ortu substantiae, seu quando quid simpliciter generatur, habetur, dicit[137]: *„ἔστι δὲ τὸ ὑποκείμενον ἀριθμῷ μὲν ἕν, εἴδει δὲ δύο".*

(»Est subiectum numero unum, specie autem duo«.)

Quod quomodo intelligatur, antea explicatum est[138]: *„δεῖ τι ἀεὶ ὑποκεῖσθαι τὸ γινόμενον, καὶ τοῦτο εἰ καὶ ἀριθμῷ ἐστιν ἕν, ἀλλ' εἴδει γε οὐχ ἕν· τὸ γὰρ εἴδει λέγω καὶ λόγῳ ταὐτόν· οὐ γὰρ ταὐτὸν τὸ ἀνθρώπῳ καὶ ἀμούσῳ εἶναι. καὶ τὸ μὲν ὑπομένει, τὸ δ' οὐχ ὑπομένει· τὸ μὴν μὴ ἀντικείμενον ὑπομένει (ὁ γὰρ ἄνθρωπος ὑπομένει), τὸ μουσικὸν δὲ καὶ τὸ ἄμουσον οὐχ ὑπομένει, οὐδὲ τὸ ἐξ ἀμφοῖν συγκείμενον, οἷον ὁ ἄμουσος ἄνθρωπος".*

(»Necesse est semper aliquid subiectum esse, quod fiat, et hoc, etsi numero unum, saltem specie non unum. Specie enim idem dico ac ratione. Non enim idem est esse hominem et esse nonmusicum. Atque alterum permanet, alterum autem non permanet: id quod non est oppositum, permanet, homo enim permanet, musicum autem et non musicum non permanet, neque quod ex utroque compositum est, puta homo nonmusicus«.)

Id est: cum ex homine nonmusico fit homo musicus, homo quidem manet, non vero manet illud compositum quod antea erat, sc. homo nonmusicus, sed iam novum compositum est, sc. homo musicus. Et simili modo cum ex illa materia, quae caret forma alicuius elementi, illud elementum fit, materia manet, non autem manet illud compositum quod antea erat, sc. materia carens forma illius elementi, sed novum compositum fit, sc. materia cum forma illius elementi. Quia autem novum compositum est substantia, non dicitur ex tali materia privatione affecta facta

esse materia forma affecta, sed aliqua nova substantia, ideoque simpliciter, non solum accidentaliter.

Ad hoc, ut ex materia nova substantia fiat requiritur, ut materia antea forma huius novae substantiae caruerit; ut autem materia antea aliquam aliam positivam formam habuerit, non requiritur, sed neque prohibetur. Quare quaestio, quomodo ex materia aliqua nova substantia fiat, independens est ab illa alia, utrum sc. materia possit esse sine omni positiva forma, quam habere posset, id est omni forma, per quam ex illa materia aliqua substantia composita sit.

11. Posse lapides ex quibus domus fieri potest, esse ita, ut nihil ex iis factum sit, patet. Utrum autem materia elementi seu materia prima manere possit sine ulla forma elementi aut substantiae alicuius compositae, non ita statim patet. Nam talis materia, quae careat omni forma tum elementi tum corporis compositi, non esset perceptibilis; quare si qua *materia amitteret formam, quin aliam accipiat, quoad experientiam esset, quasi annihilata esset; quia tamen permaneret, iterum aliquam formam accipere et percipi seu iterum apparere posset.*

Iam vero, cum materia elementi secundum se considerata sit ens et solum per accidens sit nonens, quatenus scilicet caret forma alicuius substantiae, quae ex illa fieri potest, manet ens, etiamsi forma cuiuscumque substantiae careat, quae ex illa fieri potest. Neque ulla contradictio in hoc invenitur; non enim idem simul et sub eodem respectu affirmatur et negatur.

Quodsi opponitur materiam »esse ens« idem significare ac materiam »habere aliquam formam«, respondetur: *materia, etiamsi careat omni forma elementi et compositi, formam aliquam habet, scilicet suam ipsius formam, in qua tota eius natura consistit, quaeque definitione materiae elementi exprimitur atque identica est cum τὸ τί ἦν εἶναι materiae elementi.* Nam sicut in Petro alia est forma partialis, sc. anima, quae de Petro non in recto praedicatur (Petrus enim non est anima sed habet animam), et alia

forma totalis, quae de Petro in recto praedicatur (Petrus enim est animal), et ab eo non re sed solum ratione distinguitur ita etiam in elemento. Ita Aristoteles:[139]

„ἐστὶ τὰ εἴδη καὶ τὸ ζῷον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ καὶ ἵππῳ“.

(»Sunt species etiam animal in homine et in equo«.)

Iam vero animal de homine et de equo in recto praedicatur; ergo animal, quod species hominis est, cum ipso realiter idem et solum conceptu distinctum est: omnis homo est animal, sed non omne animal est homo.

Atque ita etiam illud intelligitur[140]: „εἶδος οὐκ ἔχει ἡ ὕλη“.

(»Speciem non habet materia«.)

Speciem sicut formam partialem non habet, habet autem quatenus est aliquod ens.

Ceterum idem de quavis materia qua tali valet, etiam de lapidibus, quatenus sunt materia domus. neque tantum, quamdiu domus ex iis facta non est, sed etiam postquam facta est. Lapides enim sunt id ex quo domus facta est, non autem id, quod domus est. Sicut in homine non corpus habet animam sed homo, ita etiam non lapides habent formam domus, sed domus formam domus habet; atque in elemento non materia sed elementum differentiam habet, puta non materia est calida et sicca, sed ignis calidus et siccus est. Id quod de quovis toto composito valet; non pars altera alteram habet; sed totum — et hanc et illam partem habet. Iamvero omnis materia qua talis, i. e. quatenus est aliquid ex quo aliquid fit, est pars illius, quod ex ea fit; nam totum, quod ex materia factum est, compositum est ex materia et forma[141]: „γίγνεται πᾶν ἔκ τε τοῦ ὑποκειμένου καὶ τῆς μορφῆς“.

(»Fit omne ex subiecto et forma«.)

Totum est illud subiectum, de quo omnia praedicantur: totum est id, quod res est; totum est tantum et tale et ibi et agit et patitur; sicut totum compositum ex anima et corpore est homo, animal rationale, homo est tantus vel talis, homo agit, cogitat, loquitur, homo est hic aut ibi; ergo totum est subiectum quod

---

139 Met. Z, 14; 1039 a 27.

140 Phys. 3, 6; 207 a 26. 141 Phys. 1, 7; 190 b 20.

omnes partes et omnia praedicata habet; variae autem partes sunt ratio cur ei praedicatum quoddam conveniat; puta homo cogitat, ratio autem cur cogitare possit est, quia intellectum habet. Atque hoc sensu totum est substantia simpliciter dicta[142]:

„ποσὸν καὶ ποιὸν καὶ πρὸς ἕτερον καὶ ποτὲ καὶ ποῦ γίνεται ὑποκειμένου τινὸς διὰ τὸ μόνην τὴν οὐσίαν μηθενὸς κατ' ἄλλου λέγεσθαι ὑποκειμένου, τὰ δ' ἄλλα πάντα κατὰ τῆς οὐσίας".

(»Quantum et quale et relatum ad alterum et quando et ubi fit aliquid, si quid subiectum est, quia sola substantia de nullo alio subiecto praedicatur, omnia vero alia de substantia«.)

13. *Ita etiam fieri et esse et mutari et corrumpi toti convenit, non parti.* Ideo Aristoteles quaerit et explicat, quomodo elementa et mixta corpora fiant, quomodo agant et patiantur et mutentur et corrumpantur, ut capite priore consideratum est, numquam vero dicit materiam aut contrarietatem seu formam elementi fieri aut mutari, immo explicite dicit non contraritates sed elementa mutari[143]:

„πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τοιαῦτα ... μεταβάλλει εἰς ἄλληλα .. αἱ δ' ἐναντιώσεις οὐ μεταβάλλουσιν".

(»Ignis et aqua et alia talia... in invicem mutantur,... contrarietates autem non mutantur«.)

Neque forma fit, quando aliquid ex materia et forma compositum fit[144]: *φανερὸν ὅτι οὐδὲ τὸ εἶδος, ἢ ὁτιδήποτε χρὴ καλεῖν τὴν ἐν τῷ αἰσθητῷ μορφήν, οὐ γίγνεται, οὐδ' ἔστιν αὐτοῦ γένεσις, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι".*

(»Clarum est neque speciem, aut quodcumque vocari oportet formam illam, quae in sensibili est, neque eius generatio est neque quodquideratesse«.)

Neque materia fit[145]: *„οὐ γίγνεται οὔτε ἡ ὕλη οὔτε τὸ εἶδος, λέγω δὲ τὰ ἔσχατα".*

(»Non fit neque materia neque species, dico autem ultimas«.)

Neque ultima materia sive subiectum quod essentiam habet, fit quin determinatam essentiam habeat, neque ultima forma sive essentia specifica fit, quin habeatur a determinato subiecto.

---

[142] Phys. 1, 7; 190 a 34 — b 1.

[143] De gen. et corr. 2, 1; 329 a 35 b 3.

[144] Met. Z, 8; 1033 b 5—7.

[145] Met. 1, 3; 1069 b 35—36.

Quod hic de ultima materia et forma dicitur, de omni materia et forma qua tali valet. Hoc loco sufficit vidisse ex Aristotelis sententia neque materiam neque formam fieri, cum compositum ex illis fiat. Nam ita patet quod antea dictum est, solum totum fieri aut mutari aut corrumpi, esse doctrinam Aristotelis.

14. Atque sicut materia et forma non sunt id quod fit, ita neque sunt id quod est; sed sicut totum est id quod fit, ita etiam totum est id quod est. Sc. totum est id, quod est simpliciter, materia et forma autem non sunt simpliciter, sed quatenus sunt partes totius: totum est id de quo definitio essentialis seu substantialis valet, i. e. totum est essentia, materia autem et forma non sunt essentia totius, sed sunt eius partes constitutivae. Ita de materia dicitur[146]:

„μόριον ἡ ὕλη τοῦ ὅλου ὥσπερ ὁ χαλκὸς τοῦ χαλκοῦ ἀνδριάντος“

(»Pars est totius materia sicut aes aereae statuae«.)

Sed neque forma (sc. partialis) est essentia (sc. totius)[147]: *„φανερὸν ὅτι οὐδὲ τὸ εἶδος ἤ ὁτιδήποτε χρὴ καλεῖν τὴν ἐν τῷ αἰσθητῷ μόρφήν, οὐ γίγνεται, οὐδ' ἔστιν αὐτοῦ γὲνεσις, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι“.*

(»Clarum est neque speciem, aut quomodocumque vocari debet forma quae in sensibili est, fieri neque eius esse generationem neque quodquideratesse«.)

Ita homo non est anima, neque anima est homo sed aliquid hominis; sicut nec corpus est homo sed hominis: neque corpus neque anima est *τὸ τί ἦν εἶναι*, sc. hominis, cuius sunt. Atque eodem modo etiam patet neque in elemento materiam aut formam seu contrarietatem esse id quod simpliciter est sed hoc esse elementum, materiam autem et formam esse non elementum sed elementi. Partes qua tales non pertinent directe ad ullam categoriam; nam neque sunt ultimum subiectum omnium praedicatorum, neque sunt accidentia ultimi subiecti, ad quod pertinent.

15. Atque ita intelligitur illud[148]: *„λέγω δ' ὕλην, ἣ καθ' αὑτὴν μήτε τὶ μήτε ποσὸν, μήτε ἄλλο μηθὲν λέγεται οἷς ὥρισται τὸ ὄν“.*

---

[146] Phys. 3, 6; 207 a 27—28.

[147] Met. Z, 8; 1033 a 5—7.

[148] Met. Z, 3; 1029 a 20—21.

(»Dico materiam, quae secundum se ipsam neque quid neque quantum neque quidquam aliud dicitur ex iis quibus id quod est determinatum est«.)

His verbis negatur materiam qua talem dici posse quantum aut quodvis aliud ex accidentibus, quibus tamquam praedicatis illud, quod est, seu substantia prima tamquam ultimum subiectum omnium praedicatorum, determinatum est; negatur etiam materiam qua talem esse ipsam substantiam (secundam) vel quidditatem vel primam categoriam. Agi de categoriis patet ex nominibus categoriarum: *ποσόν* et cetera significant accidentia, nam iis id quod est determinatum est. *τί* autem est nomen substantiae, vel primae categoriae, abbreviatum ex *τὸ τί ἦν εἶναι*, sicut etiam alibi in enumeratione categoriarum ita significatur[149]: *„λέγεται τὸ ὂν τὸ μὲν τὸ τί ἢ ποιὸν ἢ ποσόν“*.

(»Dicitur ens quoddam quidem quid aut quale aut quantum«.)

Non igitur in *τί* ponendus est accentus gravis *τὶ* sed acutus *τί*; nam non est pronomen indefinitum sed interrogativum. Neque *τὸ ὄν* intelligitur ens communissimum, quod in omnibus categoriis continetur, sed illud ens, de quo omnes categoriae praedicantur, i. e. substantia prima vel individuum; nam haec est illud ens, quod omnibus praedicatis determinatum est, seu quod subiectum est omnium praedicatorum ideoque »materia ultima« est, de qua Aristoteles loquitur, quod ex iis etiam patet, quibus dictum declarat[150].

ἔστι γάρ τι καθ' οὗ κατηγορεῖται τούτων ἕκαστον, ᾧ τὸ εἶναι ἕτερον καὶ τῶν κατηγοριῶν ἑκάστῃ· τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τῆς οὐσίας κατηγορεῖται, αὕτη δὲ τῆς ὕλης. ὥστε τὸ ἔσχατον καθ' αὑτὸ οὔτε ποσὸν οὔτε ἄλλο οὐθέν ἐστιν.

(»Est enim aliquid, de quo praedicatur unumquodque ex his, cui esse aliud est ac unicuique ex categoriis; alia enim de substantia praedicantur, haec autem de materia. Itaque ultimum secundum seipsum neque quid neque quantum neque aliud quidquam est«.)

Illud ergo, quod hic ab Aristotele *ὕλη* vocatur, est id, de quo omnes categoriae praedicantur, sive subiectum omnium praedicatorum, quodque ipsum praedicatum esse non potest, Hoc autem ab Aristotele

---

[149] Met. Θ, 1; 1045 b 32—33.

[150] Met. Z, 3; 1029 a 21—25.

vocatur *πρώτη οὐσία* (prima substantia) vel *ἄτομον* (individuum)[151]:

αἱ πρῶται οὐσίαι διὰ τὸ τοῖς ἄλλοις ἅπασι ὑποκεῖσθαι κυριώτατα οὐσίαι λέγονται.

(»Primae substantiae, eo quod omnibus aliis subiacent, maxime proprie substantiae dicuntur«.)

ἀπὸ μὲν γὰρ τῆς πρώτης οὐσίας οὐδεμία ἐστὶ κατηγορία κατ' οὐδενὸς γὰρ ὑποκειμένου λέγεται· τῶν δὲ δευτέρων οὐσιῶν τὸ μὲν εἶδος κατὰ τοῦ ἀτόμου κατηγορεῖται, τὸ δὲ γένος κατὰ τοῦ εἴδους καὶ τοῦ ἀτόμου.

(»A prima enim substantia nulla praedicatio est; de nullo enim subiecto dicitur; e secundis autem substantiis species quidem de individuo praedicatur, genus autem de specie et individuo«.)

Ergo »prima substantia« idem intelligitur ac »individuum«.

Prima igitur substantia vel individuum est id, quod modo ab Aristotele vocatur *ὕλη*, quae qua talis neque sit quid neque quantum neque aliud quidquam ex iis quibus id quod est, doterminatum est. Unde patet hanc materiam esse »materiam ultimam sive »ut totum« sive »metaphysicam«.

Ita etiam patet materiam hanc esse potentiam. Nam actu aliquod subiectum est eo, quod aliquid est; est autem eo, quod aliquod praedicatum habet. Subiectum separatum seu abstractum ab omni praedicato nequit dici neque cogitari aliquid esse, nisi ipsum de seipso praedicetur; subiectum qua tale nihil aliud est nisi subiectum, subiectum autem revera est subiectum, ideoque non est nihilum absolutum. Potest igitur »materia ultima« dici »potentia pura«, neque tamen »absolute sed relative pura«, quia etiamsi materia seu subiectum qua tale nihil aliud est, ideoque omni alio esse caret, tamen subiectum est subiectum ideoque esse subiecti habet. Neque umquam ab Aristotele materia vocatur potentia pura, sed constanter docetur materiam esse non ens non secundum se, sed secundum accidens — *μὴ ὂν κατὰ συμβεβηκός* atque ita distingui a privatione[152]:

---

[151] Categ. 5; 2 b 37 — 3 a 1 et 3 a 36—39.

[152] Phys. 1, 9; 192 a 3—6.

ἡμεῖς μὲν ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερόν φαμεν εἶναι, καὶ τούτων τὸ μὲν οὐκ ὂν εἶναι κατὰ συμβεβηκός, τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν καθ' αὑτήν, καὶ τὴν μὲν ἐγγὺς καὶ οὐσίαν πως, τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν οὐδαμῶς.

(»Nos materiam et privationem aliud esse dicimus, et ex his alteram esse nonens secundum accidens, sc. materiam, privationem vero secundum seipsam; et alteram propemodum esse quadantenus substantiam, sc. materiam, privationem autem nullatenus«.)

Non itaque illa verba Aristotelis ita intelliguntur, ac si materia sit non ens simpliciter, ita ut non intelligatur, cur materia non dicatur nihilum absolutum: materia est non ens, quatenus neque est quidditas neque accidens eius, in quo est, seu quatenus praedicatum esse nequit.

Ideoque illis verbis non continetur aliquod proprium materiae ultimae, sed idem de quacumque materia qua tali valet. Nulla materia *καθ' αὑτήν* — qua talis, praedicatum esse potest, neque quidditativum neque accidentale eius, in quo est. Ita etiam de aere tamquam materia statuae aliisque dicitur:[153]

„*τὸ μὲν σχηματιζόμενον καὶ ῥυθμιζόμενον, ὅταν ἐπιτελεσθῇ, οὐ λέγομεν ἐκεῖνο ἐξ οὗ ἐστιν, οἷον ἀνδριάντα χαλκὸν ἢ τὴν πυραμίδα κηρὸν ἢ τὴν κλίνην ξύλον, ἀλλὰ παρωνυμιάζοντες τὸ μὲν χαλκοῦν, τὸ δὲ κήρινον, τὸ δὲ ξύλινον.*

(»Quod figuratur aut ordinatur, quando perfectum est, non dicimus id ex quo est, puta statuam aes, aut pyramidem ceram, aut lecticam lignum, sed per modum adiectivi dicimus aliud aereum, aliud cereum, aliud ligneum«.)

Aes, quod est materia statuae, neque est quidditas neque accidens statuae; nam statua, quae ex aere facta est, nequit dici aes sed aerea. Atque generatim[154]: „*ὧν δὲ γένεσις καὶ φθορά, ἀδύνατον ἐκεῖνο προσαγορεύεσθαι ἐξ οὗ γέγονεν*".

(»Illa quorum est generatio et corruptio, impossibile est vocari id ex quo facta sunt«.)

Materia non est illa res, quae ex ipsa facta est, sed est solum in potentia illa res, quia materia capax est, ut ex ea res fiat. Ita lapides et ligna ex quibus domus fit, non sunt simpliciter, sed solum potentia

---

[153] Phys. 7, 3; 245 b 9—12.

[154] De gen. et corr. 2, 1; 329 a 19—20.

domus[155]: *„τῶν ὁριζομένων οἱ μὲν λέγοντες τί ἐστιν οἰκία, ὅτι λίθοι πλίνθοι ξύλα, τὴν δυνάμει οἰκίαν λέγουσιν.*

(»Ex definientibus illi qui dicunt, quid sit domus: eam esse lapides et tegulas et ligna, id quod potentia domus est dicunt«.)

Quia autem materia est potentia illa substantia, quae ex ea fit, potest etiamsi non simpliciter tamen secundum quid vocari substantia (sc. eius quod ex ea fit[156]: *„φανερὸν δὴ ἐκ τῶν εἰρημένων τίς ἡ αἰσθητὴ οὐσία ἐστὶ καὶ πῶς˙ ἡ μὲν γὰρ ὡς ὕλη, ἡ δ' ὡς μορφὴ ὅτι ἐνέργεια˙ ἡ δὲ τρίτη ἡ ἐκ τούτων.*

(»Clarum igitur ex iis quae dicta sunt, quae sit sensibilis substantia et quomodo; alia enim ut materia, alia ut forma quod actus; tertia vero illa quae ex his est«.)

Atque in hoc discrimen essentiale inter materiam et privationem invenitur[157]: *ἡμεῖς μὲν ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερόν φαμεν εἶναι, καὶ τούτων τὸ μὲν οὐκ ὂν εἶναι κατὰ συμβεβηκός, τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν καθ' αὑτήν, καὶ τὴν μὲν ἐγγὺς καὶ οὐσίαν πως, τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν οὐδαμῶς“.*

(»Nos materiam et privationem aliud esse dicimus, et ex his alteram esse nonens secundum accidens, sc. materiam, privationem vero secundum se ipsam; et alteram propemodum esse quadantenus substantiam, sc. materiam, privationem autem nullatenus«.)

Ergo materia non simpliciter sed quadantenus substantia esse dicitur.

Quae omnia de quacumque materia, sive ultima sive prima sive intermedia valent; materia neque est quidditas neque accidens eius, in quo est, ideoque est eius substantia non simpliciter sed secundum quid, omnis materia est potentia corpus, sc. illud, quod ex ea fit; materia prima est potentia elementum, elementa autem sunt potentia caro, os, aliaque corpora composita, quia elementa sunt materia corporis compositi:[158]

„τὰ στοιχεῖα δεῖ νομίζειν ὥσπερ ὕλην εἶναι τοῖς συνθέτοις“.

(»Elementa oportet existimare quasi materiam esse compositis«.)

17. In omnibus quaestionibus, utrum sit materia ens vel substantia, utrum habeat proprium esse, utrum possit extra substan-

---

[156] Met. H, 2; 1043 a 26—28.

[157] Phys. 1, 9; 192 a 3—6.

[158] De coelo 3, 8; 306 b 19—20.

[155] Met. H, 2; 1043 a 14—16.

tiam, quae ex ipsa fit, esse: summi momenti est distinguere in materia id quod materia est et rationem superadditam, quod sc. aliqua substantia ex ipsa facta sit. Ita in lapidibus ex quibus domus facta est, aliud est id quod sunt lapides seu eorum entitas absolute spectata vel natura, aliud autem est id quod eis accedit, quando ex iis domus fit, sc. accedit eis relatio partis ad totum; eo ipso enim amittunt rationem independentiae respectu huius totius. Ideo illa praedicata, quae lapidibus ratione eorum naturae conveniunt, non amittunt, cum nova substantia ex iis fit; illa autem praedicata, quae eis conveniunt tamquam independentibus, amittunt, acquirunt autem iterum, cum independentes iterum fiunt. In quo illa dependentia consistat, ulterius quaeri potest: non in eo, quod proprium esse sive in ordine essentiae sive existentiae amittant; nam lapides, etiam quando in domo sunt, iidem lapides manent, neque quando domus destruitur, lapides denuo existere incipiunt. Atque ita sentire Aristotelem ex omnibus iis patet, quae capite priore considerata sunt ex doctrina Aristotelis circa subiectum generationis omnis et circa generationem et corruptionem corporis mixti. Nam constanter Aristoteles dicit in generatione etiam simplici subiectum permanere atque numero esse unum, specie autem plura in iis, quae ex invicem fiunt. Ita generatim de omni subiecto generationis simplicis seu simpliciter dictae:[159]


„*ἔστι δὲ τὸ ὑποκείμενον ἀρίθμῷ μὲν ἕν, εἴδει δὲ δύο*“.
(»Est subiectum numero unum, specie vero duo«.)

Atque ita numero unum est, ut maneat, et non solum idem denuo producatur[160]: „*ἐξ ἁπάντων τῶν γιγνομένων τοῦτο ἔστι λαβεῖν, ἐάν τις ἐπιβλέψῃ, ὥσπερ λέγομεν, ὅτι δεῖ τι ἀεὶ ὑποκεῖσθαι τὸ γινόμενον, καὶ τοῦτο εἰ καὶ ἀριθμῷ ἐστιν ἕν, ἀλλ' εἴδει γε οὐχ ἕν· τὸ γὰρ εἴδει λέγω καὶ λόγῳ ταὐτόν. οὐ γὰρ ταὐτὸν τὸ ἀνθρώπῳ καὶ τὸ ἀμούσῳ εἶναι. καὶ τὸ μὲν ὑπομένει, τὸ δ' οὐχ ὑπομένει. τὸ μὲν μὴ ἀντικείμενον ὑπομένει (ὁ γὰρ ἄνθρωπος ὑπομένει), τὸ μουσικὸν δὲ καὶ τὸ ἄμουσον οὐχ ὑπομένει, οὐδὲ τὸ ἐξ ἀμφοῖν συγκείμενον, οἷον ὁ ἄμουσος ἄνθρωπος*“.

---

159 Phys. 1, 7; 190 b 23—24.

160 ib. a 13—21.



Marija — naša posrednica.

Dr Stj. Bakšić.

Općenita je nauka Crkve i vjere puka, da je Marija naša posrednica.

Ali nastaje pitanje, što znači u sebi ova Marijina odlika. Da razumijemo ovo pitanje, treba da znademo, da ekonomija ili cjelokupno djelo našega spasenja imade dva dijela: sticanje milosti, kojeno je svršeno otkupnom Kristovom žrtvom i dijeljenje tih milosti dušama ljudi. Pitanje je dakle, da li je Marija naša posrednica stoga, što je sudjelovala kod djela našega otkupljenja ili stoga, što posreduje kod dijeljenja milosti, koje nam se s neba daju ili možda zbog obojega. Odgovaramo, da je Marija naša posrednica i zbog svoje saradnje kod otkupnog djela i zbog saradnje kod dijeljenja milosti.

Naša je bila prvotna misao i želja, da osvijetlimo samo Marijino posredništvo kod dijeljenja sviju milosti. No budući da je Marijino sudjelovanje kod djela otkupljenja osnov njezina posredništva kod dijeljenja sviju milosti, a kraj toga unosi na pregršt svijetla u svu Mariologiju, razdijelit ćemo naše raspravljanje tako, da najprije osvijetlimo Marijino sudjelovanje kod djela otkupljenja uopće, a onda da promotrimo, objasnimo i dokažemo njezino sudjelovanje kod dijeljenja sviju milosti, kojegod se čovječanstvu s neba daju.

A. Marija saradnica i suuzročnica našeg otkupljenja.

Prvo je dakle pitanje, u kakvom je odnošaju Marija prema djelu našega otkupljenja.

U ovom pogledu postoje dva oprečna mišljenja. Protestanti, a i neki katol. bogoslovi drže, da je sav sadržaj Marijina posredništva kod djela otkupljenja iscrpljen time, što je ona rodila Krista. U Kristu — kažu — treba dvoje razlikovati: njegovu osobu i njegovo otkupno djelo. Marija je u snošaju

samo s Kristovom osobom, a nipošto s njegovim djelom. Za Mariju se dakle može samo u toliko reći, da je svijetu dala spasenje, u koliko je rodila Spasitelja, od koga nam je došlo spasenje. Ona je uzročnica i saradnica našega spasenja, ali samo posredno, indirekte, u drugotnom, prenosenom značenju, u koliko je rodila Krista, koji je otkupljenje izveo sam bez ičije saradnje. Po njihovu je mišljenju jedina svrha Marijina preodređenja, da dade Spasitelju život. Kad je to učinila, prestaje svaka dalnja njezina saradnja. Napose kod otkupnoga čina treba zanijekati svaku Marijinu saradnju, jer bi to bilo s jedne strane neopravdano izdizanje Marijine moći i časti, a s druge strane rušenje osnovnog soteriološkog principa, koji je izrekao sv. Pavao riječima: Jedan je posrednik između Boga i ljudi — čovjek Isus Krist.

U protimbi s ovim tvrdimo i ističemo kao čvrstu katoličku nauku, koja je — kako ćemo vidjeti — oslonjena na jake dokumente sv. Pisma, tradicije: sv. otaca, bogoslova i crkvenoga učiteljstva, da je Marija objektivna i direktna suuzročnica i Kristova saradnica kod djela našega otkupljenja. Od prvoga časa utjelovljenja ostaje ona povezana s Kristom ne samo uskim odnošajem majčinstva, nego kao nerazdjeljiva saradnica kod svega njegova otkupnoga djela. Ona dakle nije, kako hoće protestanti, povezana samo s Kristovom osobom nego i s njegovim djelom. Mi tvrdimo, naime, da je u božjem nacrtu otkupljenja B. Dj. Marija preodređena, da bude ne samo fizička majka Spasiteljeva, nego da s njime zajedno bude princip, počelo i uzročnik Spasenja, sarađujući s njime — dakako u podčinjenoj i ovisnoj vezi — kod samoga otkupljenja kao pravi uzrok. U čitavom otkupnom djelu imade prema tome Marija jedno načelno stanovište: ona je u njemu službena saradnica i suuzročnica. Ne dakako saradnica, uzročnica i posrednica prvotna i vrhovna, nego drugotna i podložna, kako ćemo to kasnije natanko izložiti.

